

quidem magni atque nobiles, qui deorum mente atque ratione omnem mundum administrari et regi censeant: neque vero id solum, sed etiam ab iisdem vitae hominum consuli et provideri. Nam et fruges, et reliqua, quae terra pariat, et tempestates ac temporum varietates, coelique mutationes, quibus omnia, quae terra gignat, maturata pubescant, a diis immortalibus tribui generi humano putant; multaque, quae dicentur in his libris, colligunt: quae talia sunt, ut ea ipsi dii immortales ad usum hominum fabricati paene videantur. Contra quos Carneades ita multa disseruit, ut excitaret homines non socordes ad veri investigandi cupiditatem. Res enim nulla est, de qua tantopere non solum indocti, sed etiam docti dissentiant. Quorum opiniones quum tam variae sint, tamque inter se dissidentes: alterum fieri profecto potest, ut earum nulla: alterum certe non potest, ut plus una vera sit.

Nat. D. I. 22. Roges me, quid aut quale sit Deus; auctore utar Simonide. De quo quum quaesivisset hoc idem tyrannus Hiero, deliberandi sibi unum diem postulavit; quum idem ex eo postridie quæreret, biduum petivit; quum sapius duplicaret numerum dierum, admiransque Hiero requireret, cur ita faceret? Quia, quanto, inquit, diutius considero, tanto mihi res videtur obscurior. Sed Simonidem arbitror (non enim poëta solum suavis, verum etiam ceteroqui doctus sapiensque traditur), quia multa venirent in mentem acuta atque subtilia, dubitantem, quid eorum esset verissimum, desperasse omnem veritatem.

Nat. D. I. 42. Quid? ii, qui dixerunt totam de diis immortalibus opinionem fictam esse ab hominibus sapientibus rei publicae causa, ut, quos ratio non posset, eos ad officium religio duceret, nonne omnem religionem funditus sustulerunt? Quid? Prodicus Ceus? qui ea, quae prodessent hominum vitae, deorum in numero habita esse dixit, quam tandem religionem reliquit? Quid? qui fortes, aut claros, aut potentes